



Samelbd.

0/0

die,

47

DE
COMPENDIIS DISCIPLINAE
SCHOLASTICAE
MINVS COMPENDIARIIS

NON NIHIL EXPONIT

CHRISTIANVS FRIDERICVS OLPE,

A. M. LYC. TORGAV. RECTOR

ET COLLEGI LATINI IENENS. MEMBR. HONOR.



TORGAVIAE, TYPIS RÜDELIANIS.

1767

Faciliorem atque expeditiorem viam studiorum ingredi-
 untur, qui, ambagibus prudenter omiſſis, tractant,
 quaecunque poſſunt, per compendia. Latius enim pa-
 ter immenſus ille tot artium, tot diſciplinarum campus, quam
 vt ſingulis diutius immorari breuitas humanae vitae patiatur.
 Bene ac ſapienter viator ſemitas magis, quam viam regiam
 ſibi proſequendas exiſtimat, quo citius ad locum perueniat,
 vbi manere decreuit. Non alia compendiorum vtuntur pru-
 dentia, qui, ne nuſquam ſint, cum eſſe velint vbique, leui-
 ter tantummodo, et velut in tranſitu attingunt artes, quae ad
 eam, cui ſe poſſimum dederunt, diſciplinam vel exiguum,
 vel nullum plane momentum afferunt. At vero in diſciplina,
 quam proſiteris, praefidiusque ad eam facienſibus tibi compa-
 randis, ſi mera cogitare compendia volueris, compendia faci-
 endo facies diſpendia, quibus quidem veros proſectus ſic
 impediēs, vt male tandem ſuſtineas perſonam tibi imponen-
 dam. Riuulos, eoſque forſitan impuros ac lutulentos, conſecta-
 beris, vbi liquidi ac profluentes, e quibus aquae dulcius vti-
 liusque bibuntur, fontes erant adeundi. Grauiſſe BACO DE
 VERVLAMIO: *Proterua reductio, doctrinarum in artes et me-
 thodos facit, vt plerumque ſcientia aut parum, aut nihil pro-
 ſiciat.* 1)

Nec melior videtur ſcholarum ratio, de quibus in com-
 pendium redigendis noſtra aetate multi, ſucceſſu, vt opinan-
 rur, haud infelici, laborant. Iſti quidem complurium ar-
 tium, non minus elegantiorum, quam ſeueriorum diſciplina-
 rum cognitione tanto cum fructu inſtrui poſſe diſcipulos glo-
 riantur, vt encyclopaediam quaſi viuam ac ſpirantem te con-
 ſpicere exiſtmes in adoleſcentuli perſona. Namque iuuenes,
 quibus ſchola tam felix aperitur, diuinarum pariter atque hu-
 manarum rerum notitiam animo tenent complexam. Hi e-
 brai

1) De augmentis ſcientiarum I. p. 22.

braicam, graecam, latinam, gallicam, italicam, hispanicam, anglicam vernaculamque linguam ista breui doctrina capiunt, pœtarum atque oratorum vim ac delicias, ipsi pœtae, ipsi oratores, penetrant, antiquitates, historiam, geographiam, mythologiam, logices ac metaphysices praecepta, physicam, mathematicas disciplinas, et ex his astronomiam quoque, musicam, eamque et vocibus et neruis, tibiisque ac buccinis canentem, quid? quod delineandi ac pingendi artem in proutu habent. 2)

Felices animae, quibus haec compendia praesto.

Sed, quae ista sint disciplinae scholasticae compendia, placet iam vno Grammatices exemplo, breuitatis causa, docere. Duo hic potissimum esse praeceptorum cauenda existimo; alterum, ne tricus Grammaticorum ac difficilibus nugis iuuenes longius teneat, alterum, ne Grammaticas è scholis prorsus censeat exterminandas. Si, quod res est, fateri volumus, maiores nostri isto diutius hic per plures annos morati sunt curae suae et fidei traditam iuuentutem. Quid opus erat, vt tempus tereatur nominibus, quae exceptione genus quoddam constituunt, ediscendis? Nonne rectius feliciusque ex appositis, seu epithetis, in contexta orationis serie occurrentibus, haec innotescerent? Nonne multo tenacius haerent? Heu quanta Praeteritorum ac Supinorum, quanta cuiusque coniugationis Deponentium verborum ac Participiorum non nihil deflectionum, quanta Aduerbiorum farrago erat, sub graui castigatione magistrorum, memoriae mandanda! Has vero, pluresque alias, quas isti Grammatici apponebant, lautitias praestabat auctorum lectione, vel elaborationibus, in usum suum conuertere. Longum foret enarrare, quam crucem olim ti-

2) vid. Mart. Ehlers Gedanken von den zur Verbesserung der Schulen nothwendigen Erfordernissen.

IV

ronibus mouerit ars carmina pangendi, e Grammaticorum libris eruenda. Infinita propemodum regularum atque exceptionum multitudine turbata atque impedita sic fuit iuuentus, ut harum nugarum otiosarum et tricarum ineptarum prius caperetur fastidio, quam vlla diuinæ artis notitia imbueretur. Paucissimæ, quod nemo rerum istarum peritus nescit, ex Grammaticis regulæ ad profodiam spectantes cum fructu afferuntur. Si quod pensum absolueris ex poëta cum tuis discipulis, tunc libris sepositis ex iis quaeré vocis cuiuslibet pensu ad finem perducti quantitatem, et alia ex generalioribus prosodiæ præceptis haud nota, iube omnes exercitationes poëticas limæ tuæ subiectas domi legi ac relegi, et quibus poëticum est ingenium, facies poëtas.

In graeca etiam Grammatica sic versandum cum suis est bono præceptorum, huius ad præcepta ut generalia tantum reuocet, specialia ex auctorum lectione addat. Hic merito audi GRETSEVM frugiferis institutionibus linguæ Graecæ sic præfatum: *Omnes Grammaticæ partes nec breuitate nimia sint adstrictæ, neque superflua prolixitate fusæ, sed mediocritate, quæ ad iacienda linguæ Graecæ fundamenta cuius satis sit, gratae et acceptæ.* Sunt præterea in libris grammaticis fusi oribus complurima metaphysicis, aliisque obscurioribus vocibus adeo inuoluta, ut ad has eruendas Delio vrinatore opus esse videatur. Sunt ista tandem harum commentationum, certe multarum, incommoda, ut latina prostant lingua, cum Cellario, Rollino, Gesnero, aliisque suffragantibus multo aptius grammaticæ præceptiones lingua patria docentur.

At istas, quas merito notamus, ambages vitaturi nunc haud pauci sic suo abundant sensu, ut grammatica plane in scholis negligant, rati, linguas ipso vsu citius ac felicius disci, quam Grammaticorum præceptis. Facile id largimur in linguis adhuc vigentibus, quamuis has etiam accuratius ex Gram-

ma-

matica prius disceres, quam solo, qui saepe fallere solet, vsu. Quoties, quaeso, aberrant illi, qui sola consuetudine Gallica didicerunt, vt regulas ab se tum maxime putent obseruatas, cum turpiter neglexerint. Itaque, multis ex caussis, bene ageretur cum scholis in Germania florentibus, si ad vernaculam iuuentus, duce GOTTSCHEDIO, de sermonis Germanici praeceptis optime promerito, instituerentur. Linguas autem, quae diu inter homines conticuerunt, sola lectione atque exercitatione tibi familiares redditurus operam atque oleum, disperdes.

Dici enim vix potest, quae damna literis ex Grammatica plane ommissa nascantur. Hinc incertum illud sermonis atque orationis, quod saepe decipit etiam ad sublimiores disciplinas contententes, nec raro istos torquet, qui lingua doctis hominibus vernacula commentationes edunt, vt vel in regulis notioribus obseruandis humani quid patiantur. Ita particula *exsi*, *quanquam*, et alias his similes, vel sub initium sententiae Coniunctiuo additas deprehendes, ita, nec praecedente Perfecto tempore, quidam Imperfectum Coniunctiuu posuerunt, nec desunt, qui in vsu Futuri, quod exactum dicunt, alucinentur. Temporum sane differentiae quoties perturbentur, facile videbis, lectis iis, quae CLARKIVS ad *Hommerum Iliad. I, v. 31.* egregie disputauit.

Hinc male commixti linguarum idiotismi, quemadmodum ex *Græcorum* illud vitiosum *quod*, post verba sensuum ac dicendi vsurpatum, SANCTIO iudice, 3) prouenit. Quae idiotismorum confusio ex hoc etiam fonte deducenda, quod latine scripturi vel locuturi, verba, quae apud animum

) (3

con-

3) In *Minerva* p. 497. Rectum particulae *quod* vsu, praeter alios, luculenter docet GESNERVS ad *Heineccii fundamenta stilii cultioris*, p. m. 32. et in peculiari dissertatione *Fabiano thesauro a se inserta*.

conceperunt lingua vernacula, verbo male reddunt. Tale illud communicauit *mibi*, conciliare *cum aliquo*, quod *me* attinet, benedicere *aliquem*, *de die in diem*, *de verbo ad verbum*, *erupit in haec verba*, *verba ita sonant*, et alia complura, quae hic referre superuacaneum 4)

In auctoribus autem explicandis immane quantum, studio Grammatices posthabito, peccatur. Rem vno illustrabimus exemplo ex diuino Noui Testamenti codice Act. XVII, II. deprompto. Eo quidem loco *εὐγενέστεροι τῶν ἐν Θεσσαλονίκῃ*, nisi miscere vrbes velis, per *nobilissimos Thessalonicensium*, reddi haud poterunt. Quid impedit, quo minus retineatur Comparatiuus? Nam Berrhöensēs ad christianam fidem Paulli oratione adducti hic generosiores animis audiunt, quam Thessalonicenses isti Iudaei, qui inuidia et peruicacia compulsi turbis in vrbe concitatis Paullum ac Silam exagitarunt. 5)

Stat igitur grauissimum illud Melanchthonis, tanti Germaniae doctoris, iudicium, Scripturam prius non posse intelligi *theologice*, quam intelligatur *grammatice*. Nec sunt, si quid iudicat QVINCTILIANVS, 6) *ferendi, qui grammaticam artem, ut tenuem ac ieiunam, cauillantur, quae nisi oratorum futuro fundamenta fideliter iecerit, quicq̄ id superstruxeris, corruet: Necessaria pueris, iucunda senibus, dulcis secretorum comes, et quae vel sola omni studiorum genere plus habet operis, quam ostentationis*. Grammaticam si sustuleris, lumen scholis, immo vero multis disciplinis exstingues. Discant imperiti iuuenes huic scholarum disciplinae pretium ponere, in eademque maiori cum cura versari ex iis, quae IACOBVS PERI-

ZO-

4) vid. CELLARII *Antibarbarus*, CAROLI HENR. LANGII *instit. sili Romani*, p. 77. seqq. et qui omnium instar esse poterit, NOLTENIUS, in *Lexico Antibarbaro*.

5) vid. KYPKE, in *Observat. sacris in Noui Foederis libros ad h. l.*

6) *Instit. Orat.* Lib. I. Cap. IV.

ZONIVS, in praefatione ad Sanctii Mineruam, praecclare monet: *Nihil vtilius, inquit, praestari potest omnibus scientiis ex antiquitate repetendis, quam earum linguarum, quibus conscriptae sunt olim, grammaticam rationem et usum declarare, quod vnicum est et certissimum verustos auctores interpretandi fundamentum. Nec absurde id circo, si politice rem consideremus, Tridentini rheologi, vt Scripturam S. suis arbitriis et decretis penitus subiicerent, Grammaticos ab ea interpretanda excludendos censebant, cum viderent, eos, si admitterentur, longe aliter illam exposituros plerumque, quam ipsi vellent, qui desiderabant non verum verborum sensum, sed vnice suis dogmatibus accommodatum. Quo circo cum non auderent palam ipsam sacrorum Codicum auctoritatem reuicere et extinguere, rectam eorum interpretationem, grammatica ratione faciendam, volebant abolitam, ne, vt ipsi dicebant, Grammatici, aut qui quae ea methodo Scripturam explicabant, facile confutarent rheologos, solis Decreti ac versionibus in ecclesia receptis subnixos. Taneum illis metus incuriebat grammatica interpretandi ratio, tantam ea vim habet ad veram veterum Scripiorum sententiam inuestigandam et declarandam, falsamque reuellendam funditus. 7)*

Atque haec quidem a scholastica re non aliena vt paucis iam afferremus, quinque commoti sumus disciplinae nostrae alumnis cathedram ad dicendum conscensuris.

I. AV.

- 7) Plura qui de Grammatices laudibus et commodis nosse cupit, euoluat GLASSIVM in *Philol. S.* praefationem Grammaticae sacrae praemissam, HEVMANNI *Poecilen.* Tom. II. p. 499. seqq. et IAC. FACCIOLATI *orationem de Grammatica.* *Historiam* et fata Grammatices persequitur WALCHIVS, in *hist. crit. linguae*, Cap. IV. STOLLIVS, in der *Historie der Gelahrh.* Cap. II. Scriptores, praeter WALCHIVM et STOLLIVM l. c. FABRICIVS in *Bibl. lat.* Lib. V. Cap. VII. MORHOPIVS, in *Polyhist.* Lib. IV. Cap. X. GRISCHOVIVS, in *Introduct. in Philol. general.* §. XX. et LXXXI.

VIII

- I. AVGVSTVS HENRICVS KRIGER, *Torgauensis*, qui primum inter commilitones, locum sua persona dignum, obtinuit, scholae dicturus vale, quam ipse fatis rerum fudit, *Elegiam Christo Triumphatori sacram*, recitabit.
- II. CHRISTIANVS GOTTHOLD KÜHNE, *Loswigio-Misnicus*, in Academiam cogitans, *pöeticam Psalmi cXLVIII. imitationem, Ode germanica expressam*, proferet, nec grati animi persoluens religionem *Schroederiani beneficii* obliuiscetur.
- III. IOANNES GEORGIVS GOTTLOB BRÜNK, *Schoena-Misnicus*, chori musici praefectus, nec pöeticae, nec musicae artis rudis, ad altiora Musarum castra contendens oratione, ab se composita, laudabit *musicam pöeseos magistram*; gratum vero animum in Deum, scholae Patronos ac nutritores, ipsamque Torgauiam, breui carmine germanico declarabit.
- IV. IOANNES GVILIELMVS DEMISCH, *Torgauensis*, *disciplinas sublimiores sine linguarum et artium, quae in scholis traduntur, cognitione, in Academia praepostere tractari*, breui ostendet oratione, cuius sub finem *Schroederi* beneficentiam praedicabit.
- V. CHRISTOPHORVS HENRICVS ZACHARIAE, *Riesfa-Misnicus*, *sapientem omnia sua secum portare*, versibus germanicis docens commilitonibus in Academiam proficiscentibus felicem honorificumque ex schola discessum gratulabitur.

Quos bonae spei adolescentes, vt VIRI ILLVSTRES AC GENEROSISSIMI, EPHORVS SENECTVTE AC MERITIS SYMME VENERABILIS, SENATVS AMPLISSIMVS, SACERDOTES PLVRIMVM REVERENDI, Scholae PRAECEPTORES FIDELISSIMI, et quicumque Musas nostras in deliciis habent, cras, finitis sacris matutinis, in primae classis auditorio, pro sua in scholam nostram voluntate, frequentes audiant, perofficiose rogo. Scrib. Torgauiae, d. XXI. Maii, seu secundum Romanorum fastos, XI. Calend. Iun.

A. O. R. MDCCCLXVIII

AB: 155056

VD 18

ULB Halle 3
003 085 112




TA → SL
Nov 75 fkt 1

R

VD 17





COMPE

LINAE

MIN

RIIS

CHRIST

OLPE,

ET CO

OR.

TORG

S.

